HRABANUS MAURUS
Österreich, 12. Jh.
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26054
Copyright: Admont, Benediktinerstift



goliam sternere. a rege proposita extinctis allophylis numerosa
preputia reportare. promissum tandem regnum percipere. cunctumque israhelyticum populum sine ulla contradictione possidere. et tamen cum arcam dei
hierusalem reuocat. quasi oblitus prelatum se omnibus admixtus populis ante arcam
saltat. Et quia coram arca saltare ut creditur uulgi mos fuerat. rex
se in diuino obsequio per saltatum rotat. Ecce quem dominus cunctis sin
gulariter pretulit se quoque sub domino et exequendo minimum et abiecta
exhibendo contempnit. non potestas regni ad memoriam reducitur. non
subiectorum oculis saltando uilescere metuit. non se honore prelatum ceteris
ante eius arcam qui honorem dederat recognoscit. coram domino egit debilia
uel extrema ut illa ex humilitate solidaret que coram hominibus
gesserat fortia. Quod de eius factis ab aliis sentiatur ignoro. ego dauid
plus saltantem stupeo quam pugnantem. Pugnando quippe hostem
subdidit. saltando autem coram domino semetipsum uicit. quem mychol
filia saul adhuc extimore regio generis insana cum humiliatum despi
ceret dicens. Quam gloriosus fuit hodie rex israel discooperiens se ante
ancillas seruorum suorum. et nudatus est quasi si nudetur descurris. protinus
audiuit. Ludam ante dominum qui elegit me potius quam patrem tuum. ac paulo post
ait. Ludam et uilior fiam plusquam factus sum. eroque humilis in oculis
meis. ac si aperte dicat. Uilescere coram hominibus appeto. quia seruare
mihi coram domino regnum per humilitatem quero. Sunt uero non nulli qui de semetipsis
humilia sentiunt. qui in honoribus positi nihil se esse nisi puluerem fauil
lamque perpendunt. sed tamen coram hominibus uiles apparere refugiunt. et
contra hoc quod de se interius cogitant. quasi rigida exterius uenustate palli
antur. Et sunt non nulli qui uiles uideri ab hominibus appetunt. atque omne
quod sunt deiectos se exhibendo contempnunt. sed tamen apud se introrsum
quasi ex ipso merito ostense uilitatis intumescunt. et tanto magis
in corde elati sunt quanto amplius in specie elationem premunt. Que utraque
unius elationis bella magna dum circumspectione deprehendit. mira

B. M.